

peti, debetque in subsidium Cruciatæ applicari. Latè de his *P. Mendo, Alioza, & alij*. Bulla autem non prodest eis, qui in fiducia Bullæ bona aliena usurparunt, ita ut quis non usurpasset bona, si non speraret, se compositione usurum: bene verò prodest illis, qui cum fiducia Bullæ talia bona usurparunt, hoc est, quod semper aliquis erat ea ablaturus, quamvis solamen haberet, eo quod per Bullam erat ablata compositorum, si post compositionem factam comparcat Dominus bonorum, de quibus quis fecit compositionem, nihilominus bonorum Dominus potest illa coram Iudice petere, & Iudex tenetur alterum ad restitutionem condemnare: siquidem compositio tantum valet pro foro interno.

218 In foro externo variæ ex furto resultant actiones. Aliæ enim sunt rei persecutoriæ, ut rei vindicatio, & conditio furtiva: aliæ actiones penales, ut actio furti, & accusatio criminalis. Rei vindicatio competit Domino rei furto ablatae adversus quemcumque illius possessorem, etiam si non sit fur, sed etiam bona fide emisset: nam est actio realis quæ rem, ubicumque sit, etiam pretio non refuso, vindicat Domino suo. *L. 3. L. 23. C. de Rei vind.* atque adeo res furtiva à Iudice apud furem reperta non sisco, sed Domino, si certus est, debet restituere sine diminutione non obstante contraria consuetudine. *Conditio furtiva*, est actio civilis, personalis, & perpetua, extraordinaria tamen, qua petitur res ipsa, si extet, & dicitur *conditio certi*, vel petitur interesse rei, si non extat res, vel illius possessio, vel usus, & dicitur *conditio incerti*. Actio furti est purè pœnalis, quia tantum ad pœnam, non ad rei perfectionem tendit. Præterea est personalis, perpetua, & famosa. Et si ex furto manifesto conturgat est Prætoria, & in quadruplum datur, si ex non manifesto oriatur est civilis, & induplum datur. *§. 5. & fin. Inst. de Obligat. que est delicti. §. 18. Inst. de Actio. L. 18. tit. 14. p. 7.* Competitque Domino rei ablatae, & alij, quorum interest, rem ablatam non esse. *L. 10. L. 11. ff. b. t.* Datur contra furem, etiam contra impuberem doli capacem, & contra ei cooperantes auxilio, vel consilio, ut si quis tibi numos exculsit, ut alius repararet, aut tibi obtulerit, ut alius rem tuam exciperet, aut oves tuas, vel boves fugaverit, ut alius eas exciperet, & hoc veteres scripserunt de eo, qui panno, ru-

bro fugavit armentum, vel qui scalas fenestris supponit, aut ipsas fenestras, vel ostium effringit, ut alius furtum faceret, quivè ferramenta ad effringendum, aut scalas, ut fenestris supponeretur, commodaverit, sciens, cuius rei gratia commodaverit. *§. 11. Inst. de Oblig. que est delicti.* & quidem si plures sint, contra singulos insoludum datur: nec unius solutione ceteri liberantur. *L. 21. §. 9. ff. b. t.* Sicut liberantur quando unius condicione furtiva conventus, solidum solvit: nam conditio furtiva est rei persecutoria, quæ cessat, si id, quod abest, restituatur: nam bis idem petri non valet. *L. 57. ff. de Reg. jur.* Actio verò furti est pœnalis ligans omnes, qui delictum commiserunt, & quidem etiam re furtiva extincta permanet furti actio adversus furem: *L. 46. ff. b. t.* Sed cum hæc actio sit pœnalis non datur contra furis heredem, nisi jam cum defuncto lis contestata sit. *§. 1. Inst. de Perpet. & tempor. L. 1. ff. de Privat. delicti.* Hæc actio dicitur famosa: quia ea conventus, etiam tantum civiliter, & ad pœnam dupli, vel quadrupli; v. g. condemnatus, saltem, quando furtum est aliquantum lucrum notabile, fit infamis. *L. 4. §. fin. ff. de His, qui notant.*

219 Etiam contra furem datur actio criminalis, ut ipsi insignantur pœnæ à jure statutæ, quæ etiam locum habent, & si per viam Inquisitionis procedatur, & quidem de Jure Canonico fur notorius notorietate facti, vel si actione furti, & quidem pœnali, & famosa (secus si condicione furtiva) conventus, & condemnatus sit, fit infamis. *c. 17. 6. q. 1. & consequenter irregularis. c. 5. D. 51. c. 8. de Reg. jur. in 6. Diaz. Prax. Crim. Canon. cap. 94. n. 2.* Si furtum occultum sit, nec infamia, nec irregularitas incurritur. Si Clericus sit deprehensus, vel convictus de furto magno, vel iterato deponendus est ab ordine, & officio Clericali. *c. 12. D. 81.* Quod si adhuc non respiciat, debet excommunicari. Si tandem incorrigibilis sit tradi debet brachio seculari. *c. 10. de Judic. Episcopi*, vel eorum Vicarij ad instantiam partis læsæ solent concedere litteras monitorias generales, sub excommunicatione contra eos, qui rem alienam, non quidem medicam, injustè retinent, ut eam restituant: & adversus scientes, rem ab alio detineri, ut revelent: quod si non faciant, excommunicationem ipso facto incurant: *arg. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 3.* Jure

Jure Civili varijs pœnis furtum puniebatur pro ejus circumstantijs, sed non extendebatur ad mortem. *Auth. Sed novo. C. de Sero. fugit.* ibi: *Sed pro furto nec morietur, nec aliquod membrum abscindetur, sed aliter castigabitur.* *l. 18. tit. 14. p. 7.* dicitur quod fur flagellatur, sed non occidatur, nec mutiletur, nisi publicus latro sit, vel pyrata, aut per vim cum armis depraderetur in aliena domo, vel loco: vel nisi in Ecclesia, vel loco Religioso furetur, rem sanctam, aut sacram: vel si Officiales Regis furentur aliquid de pecunijs, vel rebus sibi commisis, vel si Judex, durante officio, aliquid furetur de pecunia Regis, vel communitatis. Isti enim occidunt, & eis dantes consilium, vel auxilium, vel eos celantes. Si tamen Rex, vel communitas tale furtum Officialis non petat infra quinquennium, postea non punietur corporaliter, sed tantum pœna quadrupli. Sed quamvis de furto simplici morte puniatur, tamen jam generali consuetudine servatur, quod saltem pro tertio furto, dum res non sit parvi momenti, possit fur puniri morte, & sua caula suspendi. *[Vid. Greg. Lep. in L. 17. tit. 14. p. 7. V. Mutar.* Et etiam sunt videnda. *L. 7. L. 9. tit. 11. L. 8. R. C. L. 4. tit. 23. L. 8. R. C.* Pro coronide tamen hujus materiæ venit explicandus difficilis *Text. in c. 2. b. t.* ibi: *Fures, & Latrones, si in furando, & depraedando occidantur, visum est pro eis non esse orandum. Sed si comprehensi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.* Quod intellige, non quatenus Latrones possint peccata sacramentaliter confiteri Diacono, ut ab eo absolutionem accipiant: sed quatenus in præsentis specie Sacerdos, vel Diaconus tanquam testes signorum pœnitentiæ adfuerint, ut sic possint Latrones, ad communionem Ecclesiæ admitti, & Ecclesia possit pro illis orare, & sacrificium offerre.

TIT. XIX.

De Usuris.

220 **U**SURA, quæ sic ab usu dicitur, aliquando significat quodlibet lucrum, seu fructum ex rei usu resultantem. Sic *Matt. 25. v. 37.* & *Luc. 19. v. 23.* ait Christus Dominus: *Quare non dedisti pecuniam meam ad men-* Tom. II.

Sam, & ego cum usuris coegissem eam. Sed in præsentis sumitur 1. pro lucro resultantem ex mutuo ultra sortem principalem. 2. Pro contractu, quo convenitur de hoc lucro. *c. 2. c. fin. 14. q. 3.* Si enim Titius Sempronio mutuavit centum aureos, vel centum cados vini ea condicione, ut singulis annis, donec eodem restitueret, reddat quasi ex justitia decem aureos, vel cados vini, ita ut uno, vel pluribus annis elapsis, adhuc restituere debeat eos centum aureos, vel cados vini (quæ summa dicitur capitale, seu fors principalis) & insuper debeat decem aureos, vel aliam rem pretio æstimabile singulis annis dare, tunc committeretur usura: quid enim ultra sortem principalem in mutuo datur, dicitur usura, fœnus, & lucrum. Si non interveniat mutuum, saltem virtuale, non datur usura. Hinc usurarius non est, qui certò pretio petito alteri suam pecuniam concedit ad pompam, & ostentationem: quia hic non mutuatur pecuniam cum dominium ejus non transferat, sed locat. Et in contractu locationis, & conductionis justè potest pretium, vel merces à locante peti. Qui verò à depositario pro usu pecuniæ depositæ apud ipsum aliquid petit usurarius est: nam exigit aliquid ultra sortem pro concessione, quæ verè mutuum est. Idem est, si quis vendat aliquam rem ex pacto, ut eadem sibi restitueretur, aliquid recipiendo ultra sortem. *c. 4. de Pignor.*

221 **M**utuum sic dictum, quod ex meum tuum fiat, est contractus Juris Gentium, re perficitur, nominatus unilateralis, & stricti juris, quo res fungibilis, seu consistens in pondere, numero, & mensura in alium transfertur ex Lege, ut res ejusdem generis, quantitas, & qualitatis restituantur. *L. 2. ff. de Rebus Credit. prim. Inst. quib. modis re contrahitur oblig.* Res mutuata debet reddi in eadem specie, mensura, ac bonitate; v. g. si decem scaphæ tritici fuerint mutuatae decem reddendæ sunt, & si pretium postea creverit, si mutans nihil circa augmentum, vel diminutionem pretij prævidit. *L. 22. ff. de Reb. cred.* si tamen mutans prævidit, pretium minuendum esse cum ejus damno, sufficit si triticum in eadem mensura reddatur. Si prævidit, pretium augendum esse sufficit, si mutuatarius reddat triticum in ea mensura, ut æquet pretium accepti, licet si minor, quam mensura accepta, siquidem mutans prævidit pretij aug-

mento, non potuit licite petere, quod eadem mensura redderetur: nam esset lucrum supra fortem intendere, quod certe est usura. *Lugo de Just. D. 25. sect. 7. n. 121.* Potest tamen mutuans providens certo, vel probabiliter minuendum esse tritici pretium, licite, & sine usura pacisci; quod mutuatarius non solum reddat, id quod æquet numerum accepti, sed id quod æquet illius valorum, sive mutans esset aliunde venditurus, sive consumpturus, sive in tale tempus servaturus. Hinc si mutuativ quis decem scaphas tritici potest obligare mutuatarium ad reddendum viginti, si tot sint necessariae ad aequandum pretium decem acceptarum. Sed non debet obligare mutuatarium, ne antea resituat, sed in ejus arbitrio hoc debet relinqui, quod si pretium tritici creverit pauciores quam dedit, debet exigere; v. g. si quinque scaphæ nunc tantum valeant quantum decem tempore mutui, quinque tantum petere debet. *Molina de Just. tract. 2. D. 311.*

222 Actio, quæ ex mutuo datur mutuanti, seu creditori adversus mutuatarium, seu debitorem, dicitur conditio certi ex mutuo. *Princ. Inst. quib. modis re contrahit. obligat.* El licet nulla lege teneatur mutuum dare, si tamen ex misericordia velimus dare mutuum, præcepto tamen tenemur gratis illud dare juxta illud Christi D. *Luc. 6. v. 35. Mutuum date nihil inde sperantes.* Si in hoc contractu aliquid ultra fortem exigatur, illud usura est. Et quidem hæc alia est interna: quæ consistit in solo animo lucrum capiendi ex mutuo: alia externa, quæ subdividitur in mentalem, & realem, seu conventionalem. Mentalis est, quando quis dat mutuum ea mente, nullo tamen explicata pacto, ut aliquid ultra fortem, tanquam debitum ex justitia solvatur ipsi. Erit conventionalis si pactum accedat: tale verò pactum contractu alias licito adjectum pro non adjecto habetur, contractus in suo robore manente: quia utile per inutile non vitiatur, maxime si dividi possit utile ab inutili. *c. 37. de Reg. jur. in 6.* Si contractus est illicitus, eo ut principali corrumpente, corrumpit pactum accessorium. *L. 178. ff. de Reg. jur. c. 42. eod. in 6.*

123 Esse peccatum, & illicitum usuras exercere, certissimum est ex *Conc. Viennens. in Cl. un. S. fin. b. t. ibi: Si quis in illum errorem incidit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras, non*

esse peccatum, decernimus eum, velut hereticum puniendum. Lugo de Just. & Jur. D. 25. sect. 2. Usuræ etenim de Jure Canonico, & quidem antiquissimo sunt prohibita. *Can. 43. Apost. c. 1. c. 2. 14. q. 3. quicquid, & Jure Divino. Deuter. 23. v. 19. Ezech. 18. v. 10. & 13. ibi: Quod si genuerit filium ad usuram dantem, & amplius accipientem, numquid vivet non vivet, cum universa hæc detestanda fecerit morte morietur. Luc. 6. v. 35. ibi: Mutuum date nihil inde sperantes.* Hinc Pontifex *Alex. III.* ait in *c. 4. b. t. Respondemus, quod cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus. c. 10. b. t.* Etiam Jure Naturali sunt illicitæ usuræ, & hæc est communis persuasio gentium: nam ut ait *Cicer. L. 3. Offic. Illud natura non patitur, ut aliorum spolijs nostras facultates, copias, & opes augeamus.* Et merito quidem: nam ipsa natura prohibet, aliquem lucrum capere ex re aliena, & cum per mutuum transferatur dominium rei mutuatæ in mutuatarium, non potest mutuans lucrum percipere ex tali re: hoc enim iniquum esset, sicut esset iniquum, venditorem equi lucrum capere ex usu equi, quem jam in emptorem transfuit. Nullus enim justus titulus invenitur ad lucrum percipiendum ex re mutuatæ. 1. Non pro usu: nam cum in rebus fungibilibus, in quibus mutuum consistit, dominium ab usu non separatur, post dominium translatum pertinet ad mutuatarium usus, & commodum talis rei. 2. Non pro ipsa dominij translatione: nam hæc sufficienter compensatur, si eadem res, vel fors principalis restituitur ad æqualitatem mutuanti. 3. Non pro obligatione non repetendi pecuniam, nisi post certum tempus elapsum: nam hæc obligatio est intrinseca mutuo, & si hæc via posset aliquid peti, facile hoc modo omnis usura palliaretur. Præterea talis obligatio solum est pretio æstimabilis, quando talis dilatio affert mutuanti damnum, vel facit, lucrum cessare, & tunc ratione lucri cessantis potest aliquid peti, secus si nullum lucrum cessaret: quia illa pecunia; v. g. si non esset mutuatæ deberet otiosa in arca manere, & sufficienter mutuum compensatur per integram solutionem accepti. 4. Non pro labore mutuandi: quia hic, vel est intrinsecus mutuo, vel in favorem utriusque, vel non est considerabilis, vel si notabilis est, potest pretium exigere, non tanquam

ex mutuo, sed tanquam ex opera locata mutuatario. *Navar. Man. cap. 17. n. 209.* Insuper: hæc prohibitionem usurarum à Jure Naturali descendere agnoscunt Summi Pontificis, dum in *c. 4. & 10. b. t.* eam adstruunt ex Veteri Lege, ex qua solum in Lege Gratia vigent præcepta Moralitatis fundata in Lege Naturæ. *D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 1. Covar. Var. 3. c. 1. Less. de Just. lib. 2. cap. 20. Lym. Castrop. & alij.* Et Jure Regio Hispano omnino prohibita sunt usuræ. *Leg. 46. tit. 6. p. 1. ibi: Mercaderias son de muchas maneras, è algunas, y à, que non puede ningun ome usar de ellas sin pecado mortal, porque son malas en si, como usuras, è simonia, è estas son vedadas tambien à los Clerigos, como à los Legos. L. 1. tit. 6. lib. 8. R. C. ibi: Porque se balla, que el logro es muy gran pecado, y vedado asij en la Ley de Natura, como de Escritura, y de Gracia.*

224 Hinc est, quod nullus Princeps, ne quidem Pontifex, potest per suas Leges, vel permissionem, facere usuras licitas esse. *c. 4. b. t. ibi: Super hoc dispensationem aliquam posse fieri, non videmus: quia cum Scriptura Sacra prohibeat pro alterius vitæ mentis: multò magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda Vita captivi usurarum crimine involvatur. Covar. Var. 3. ex n. 8. Molin. & alij communiter.* Imò Principes, Republicæ, Consules, vel Magistratus suis Legibus, vel statutis approbantes usuras, graviter peccabunt, & excommunicationem ipso facto incurrent. *c. 1. h. t. in 6. Clem. un. eod.* Cum enim usuræ ex se illicitæ sint, nec consuetudine possunt induci, talis enim consuetudo, utpotè Juri Naturali, & Divino contraria non esset rationalis, ac proinde esset corruptela; *arg. c. fin. de Consuetudine.* Et hæc ratio nec in favorem causæ piæ, vel etiam pro redemptione captivorum possunt exigere, vel accipi. *c. 4. b. t. Illicitus tamen est. Anatoxismus, sive usura usurarum. v. g. Titius sub usuris mutuavit mille argenteos Sempronio ut pro ipsis redderet 50. & in anno sequenti intendit non solum ex sorte principali, quæ sunt mille, sed etiam ex usuris nondum solutis, quæ sunt 50. novas usuras, scilicet duos argenteos cum dimidio lucrari. L. 3. & 28. C. b. t.* Si verò jam sunt solutæ usuræ aliunde licitæ, vel ut melius dicam, lucrum, quod ex iusto titulo honestum sit, potest in eo novam sortem constituendo mutuans aliquid etiam lucrari, quia esset novum mutuum. *Leg. 3. C. de Usuris rei Tom. II.*

judicat. Quanto tamen usuræ, etiam licite, nondum sunt solutæ, Jure Naturali non repugnat, quod ex eis novum lucrum, honestum quidem, caperetur, prohibetur tamen Jure Positivo. *L. 29. ff. b. t. l. 28. C. eod.* quia in Jure non datur accessio accessio, nec fructus fructuum, nec servitus servitutis, nec lucrum lucri: adeo ut etsi permittantur, non debentur: & si solvantur, conditione indebiti repeti possunt. *L. 26. §. 1. ff. de Condict. indebit. Rodrig. de Reddit. ann. l. 3. cap. 7. n. 27.*

225. Potest tamen Princeps usuras permittere impunè, certam quantitatem determinando, & non puniendo, eas exercentes in ea quantitate: quod si eam excesserint, puniantur: quando hoc medio majora vitarentur peccata. Sic usuræ permittæ fuerunt Jure Civili. *Tor. tit. ff. & C. b. t. & sic Deus permisit Hebræis usuras. Deuter. 23. v. 20.* Sicut alibi tolerantur Lupanaria ad majus malum vitandum. *D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 1. ad 2. Azor. p. 1. t. 8. c. 22. q. 13. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 304. & sic potest intelligi difficilis Lex 22. tit. 12. p. 5.* ubi videtur Regem Judæis usuras permittere, & actionem ad eas concedere. Sed hodie hoc omnino prohibitum est in nostra Hispania *ex L. 1. tit. 6. lib. 8. R. C.* etiam consuetudine potest induci hæc usurarum impunitas. *C. fin. de Consuetudine.* Ex justa causâ necessitatis, vel utilitatis potest etiam privatus sine peccato, & ito Jure utendo petere mutuum ab alio sub usuris, quando jam est determinatus non aliter, quam sub usuris dare, cum tamen posset, si veller dare sine usuris; quippe qui usuras solvere juravit tenetur implere juramentum. *c. 6. de Jure jur. ac consequenter non est peccatum solvere usuras: cum sit certum juramentum illicitum, non esse servandum. C. 18. de Jure jur. D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 4.*

226 Licet nullum lucrum ultra fortem possit accipi in mutuo, præcisè ratione mutui, potest tamen ex alijs titulis accipi. 1. Ratione damni emergentis. 2. Ratione lucri cessantis. 3. Ratione periculi fortis à mutuante in se suscepti. 4. Ob periculum amittendi sortem in naufragio, itinere, &c. 5. Ratione culpæ, quam mutuatarius commisit, differendo restitutionem mutui ultra tempus præfixum, si tali moræ culpabili in solvendo, certa sit imposta poena, vel à Lege, vel etiam ex conventionie parata. Quando creditor ratione mutui dari

facturam in rebus, quas jam habet, patitur, dicitur damnum emergens. v. g. Si Titius mutuet Sempronio centum aureos, quos destinat ad ædificij refectionem, quod minabatur ruinam, vel ad frumentam tempore metis emendum: & postea, vel ædificium corruat, vel majores impense in refectione domus sint necessaræ, vel majus pretium pro frumento requiratur: Tunc enim ratione damni emergentis aliquid sine usuræ metu peri valet. Et quidem adjecto pacto expresso: quia illud non est lucrum ex mutuo proveniens, sed tantum est ad vitandum damnum, & ut mutuans servetur indemnis, ne ipsi suum beneficium damnosum sit. *D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1. Molin. de just. & jur. trat. 2. D. 314. n. 7. & 8.* Ut ratione damni emergentis possit mutuans aliquid recipere, requiritur. 1. Ut mutuum sit causa illius damni, & hoc non eveniret, nisi mutuans dedisset in mutuum eas pecunias, quibus ejus domus reparanda erat, ex cuius defectu passa est ruinam: si enim aliunde pecuniam haberet; etiam præstitam ab amico ad domum reparandam, mutuum non esset causa talis damni. 2. Non potest exigi ratione damni emergentis plusquam quod est necessarium, & æquale damno, vel periculo damni. 3. Mutuans debet mutuatarium de damno emergente monere: quia forte cum tali onere nollet accipere; nisi mutuans sit coactus ad mutuandum: nam tunc teneretur mutuatarius damna compensare. Potest quidem mutuatarius, si vult, pacisci cum mutuantem ratione periculi damni ad certam quantitatem: & quamvis postea damnum non eveniat, tenetur illam quantitatem solvere mutuantem, quia illud periculum, quod in gratiam mutuatarij subijt, est pretio æstimabile: sed non potest obligare mutuatarium, ut pacificatur de hoc periculo: sed sufficit si pacificatur compensare damnum, si quod eveniret mutuantem: nam sic mutuans servatur indemnis. Si damnum contingat postquam mutuatarius in mora restituendi est constitutus, quia terminus est elapsus, ad damni compensationem tenetur, etiam si nullum pactum præcessisset, quia dies interpellat pro homine, nisi forte absque omni culpa impotens factus est ad solvendum. *C. fin. de Locat. Si verò antequam esset in mora constitutus, accidit damnum, non tenetur mutuatarius illud compensare, si de eo non fecit pactum, vel nisi mutuans coactus est mutuantem.* *Soto de just. & jur. lib. 6. q. 1. art.*

3. *Molin. eod. trat. 2. D. 314. n. 11. & 12.*
 227 Si Titius ratione mutui, quod præstitit amittat aliquid lucrum, quod postea obtinere, si non mutuasset, v. g. mutuavit centum, cum quibus decem posset lucrari, si non dedisset in mutuum: tunc dicitur lucrum cessare, & tunc aliquid peti potest, etiam expresso pacto adjecto, ratione lucri cessantis: quia hoc non ratione mutui petitur, sed ne illud lucrum cesset: quod quidem pretio æstimabile est: nam lucri carentia, ut aliquod dampnum censetur. *Navar. Man. cap. 17. n. 211. Covar. Var. 3. cap. 4. n. 5. Less. Azor. & alij com.* Ut ergo ex hoc titulo aliquid accipi possit, necesse est. 1. Quod mutuum sit causa effectiva cessationis lucri: eo quod quis pecuniam negotiationi destinatam, in mutuum dedit. 2. Quod sit spes certa, vel valde probabilis talis lucri: ac proinde mutuans debet probare, se lucraturum fore ea pecunia, quam in mutuum dedit: sed cum spes non valeat tantum, quantum res ipsa, non debet exigi integrum lucrum, quod probabiliter speratur: sed prudentis arbitrio spes lucri æstimabitur, deductis tamen expensis, quas mutuans in negotiatione erat facturus, & considerata incertitudine lucri, tam ob periculum negotiationis, quam ob dubium, an esset certò negotiaturus, & an brevi, vel longiori tempore. 3. Debet mutuans tempore contractus cum mutuatario pacisci de eo, quod mutuantem præstitatur lucrum cessans. Si hoc pactum à principio non est adjectum, nihil potest peti, quia forte nolisset mutuatarius cum tali onere accipere mutuum: nisi mutuans egeret mutuantem, nam talis coactio est implicitus consensus ad compensanda mutuantem omnia damna ei provenientia ex mutuo: quia injustè causans damnum, illud reparare tenetur. Si verò mutuum ad certum tempus concessum est, eo elapso, & si nihil creditor petat in mora constituitur debitor, quia dies interpellat pro homine. Præterea: ad lucrum sine usuræ labe assecurandum, solent celebrari tres contractus, in quorum primò initur societas cum mercatore cum lucri, & damni communi periculo, in secundo emittit securitas sortis, quasi Dominus dicat: pro securitate sortis ad me attrahentis, quam postum perdere ex lucro, quod ad me à his attineret, retine novem partes, & mihi da, ex decem unicam, hac lege, ut in casu fors debeat semper esse integra, & securi,

sed

sed quia hoc lucrum est incertum, sit alius contractus sic: lucrum indeterminatum, quod spero, volo tibi vendere pretio determinato, da ergo mihi quinque, aut sex certos, five plus, five minus obtineas. Et hic dicitur communi contractus trium contractuum. Quem alij impugnant, alij defendunt probabiliter utrumque, ut testatur Bened. XIV. *de Synod. Dioces. l. 7. cap. 50.* * Et hac ratione possunt cohereri contractus, qui frequenter Manilæ inveniuntur cum finis *Vulgo Sangleyes*, quibus aliquas quantitates pecuniæ tribuunt Mercatores sub certa summa quotannis, vel singulis mensibus solvenda, & appellant *usuras pupillares*, etiam si ipsi sine periculo sortis in se suscipiant: quinimo, & aliquando ipsam sortem pignori bus assecurent: sed certè quo major est securitas dantis pecuniam, tanto decretere debet lucrum, quod in contractu debet ipse percipere. Et hujus contractus justificatio comprobatur ex c. 7. de *Donat. inter Gonzal. ibid. n. 14.* de quibus sic loquitur. *Fr. Joannes de Paz in suis Conf. clas. 1. conf. 6. parecer 7. n. 27. f. 16. Lo mas que se han entendido los Theologos en los tratillos de la tierra, es, que puedan llevar a quatro reales cada mes por el capital de veinte pesos, si tienen totalmente asegurado el capital, y ganancias, con prendas suficientes: si no tienen esta seguridad, que puedan llevar de veinte, uno.* Mutuans si a mutuatario non est mutuum assecuratum pignori bus, vel fidejussoribus, potest ab eo petere aliquid ultra sortem ratione periculi in recuperanda sorte, quod subit ipse, cum non debeat: cum enim habeat jus, ut illa pecunia fidejussoribus, vel pignori bus assecuretur eorum loco aliquid potest accipere: hoc enim periculum subire in gratiam mutuatarij pretio æstimabile est, & comprobatur *arg. L. 5. de Navar. favor. c. 6. h. t.* Ubi pro periculo, quod res sit minus valitura tempore solutionis, permittitur de aliquo augmento pacisci, sicut etiam fidejussor potest aliquid petere ratione periculi, quod subit. *L. 19. §. 1. ff. de Donat.* & hanc sententiam tenent *D. Thom. opus. 73. de Usur. q. 10. Sylv. V. Usur. 1. q. 34. Bonac. Laym. Castropal. tr. 30. D. 4. p. 17. Azor. & alij, cum Molina de just. & jur. tr. 21. D. 318. n. 4. contra Navar. in Man. cap. 23. n. 81. Soto de just. q. 14. art. 1. ad 1. Gantier, Reginal. & alios.* Si mutuatarius fidejussoribus, vel pignori bus sufficienter assecuret sortem, & ejus solutionem tempore debito, non potest mu-

tuans aliquid ultra sortem petere præcise ratione mutui, nisi alius contractus modo dicto accedat. Quæ omnia clare licet sub terminis generalibus confirmantur Constitutione Pontificia à Bened. XIV. *Vix pervenit*, pro conscientiarum indemnitatem, edita ann. 1745. *
 228 Mutuans potest aliquid accipere, & petere, à mutuatario ultra sortem, si in se suscipiat periculum sortis eam dando eunti ad nundinas per loca infesta latronibus, vel transmare navigaturò: nam cum mutuatarius deberet sortem assecurare ipsi mutuantem, si mutuans in se hoc periculum suscipiat, si forte fors pereat, potest pro eo aliquid accipere, & petere, siquidem pretio æstimabile est, & sicut pro tali assecuratione præstanda potest aliquid à tertio exigi, etiam licet ab ipso mutuatario: nec in hoc casu exigitur aliquid ultra sortem ratione mutui, sed ratione hujus assecurationis, ac proinde tale pactum non est usurarium. *D. Thom. opus. 73. de Usur. q. 9. Sylv. V. Usura, 1. q. 35. Covar. var. 3. cap. 2. Molin. de just. trat. 2. D. 318. n. 4. Lugo eod. D. 25. sect. 6. n. 77. Castropal. tr. 30. D. 4. p. 18. n. 2. Barbof. in C. fin. h. t. n. 2.* Sic in his Insulis à labe usuræ immunis est frequentissimus contractus, quem *correspondencia* vocant. Mercatores enim præstant pecuniam navegantibus Acapulcum, suscipiendo in se periculum, naufragij, & pro talis periculi susceptione, & etiam pro maximo lucro, quod possent percipere, si suo nomine mitterent mercæ vendendas Acapulci, exigunt quinquaginta pro centum, eo pacto, ut si navis in mari eundo, vel redeundo, pereat, ita, ut verificetur ex integro navem perijisse, etiam quoad merces, vel pecuniam ex mercium venditione ortam, hoc accidat Mercatoris dantis pecunias periculo. Si verò in aliquo Portu Novæ Hispaniæ in eundo, vel harum Insularum in redeundo Navis ancoram figat, & merces, vel pecunia legitime exoneretur, & postea pecunia pereat, non Mercatori, qui eam dedit, sed ei qui eam accepit pereat, & pro singulis centum argenteis quinquaginta reddere teneatur. Et sic in scripturis habetur: *En el qual Galeon ha de ir corriendo los riesgos ordinarios de quilla, costado, y pérdida general el dicho Capitan* (id est qui pecuniam dedit) *desde el dia que se bicieren à la vela del Puerto, y ribera de Cavite, hasta dar fondo en el de Acapulco, ò otro qual-*

qualquiera de dicho Reyno, en que biciere su derecha de scarga, y de tornabuelta en el mismo Galeon, o otro que en su lugar venga con el Real situado, y permitido de estas Islas, el qual llegado a qualquiera de sus Puertos, en que biciere dicha derecha de scarga, ha de ser visto haverse vendido dichos riesgos. Hic quidem contractus, qui non solum in his Insulis, sed in toto Orbe, habita proportione lucri, & damni servatur, videtur improbari à Gregor. IX. in celeberrimo Text. in c. Naveganti fin. b. t. ibi: Naveganti, vel eunti ad nandinas, certam mutans pecunia quantitate, eo quod suscepit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus. Hic Text. qui verè Doctorem ingenia torquet, variè solvitur ab ipsis: dicendum tamen est cum ipsius textus littera, quod talis est censendus usurarius, hoc est, quod regularitèr talis præsumitur in foro externo, licet verè usurarius non sit in foro interno; imò, neque in externo, si de periculo constet. Sic Covarr. Tolet. Gonz. in C. fin. b. t. n. fin. Sic in c. 1. 30. q. 5. Matrimonia, in quibus desunt solemnitates, dicuntur adulteria, etiam si verè matrimonia sint, quia ex defectu solemnitatum præsumuntur adulteria in foro externo, nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima. Similiter in c. 3. de Furt. imponitur poenitentia accipienti rem alienam, in necessitate, quia culpa aliqua præsumitur, licet verè sine peccato fortè fuit accepta, quia necessitas erat extrema. Comprobatur insuper nostri contractus justificatio ex casu proposito à Missionarijs Chinesibus, nam in præfato Regno est stabilitum, ut in mutuo triginta pro certum accipiantur à Mercatoribus absque respectu lucri cessantis, vel damni emergentis. Sed quia aliquod periculum aderat in recuperanda pecunia: scilicet, quod ille qui accipit pecuniam mutuam, fugiat, vel quod tarder in solvendo, vel quod necessarium sit coram Judice repetere, vel propter alia hujusmodi, & cum hic casus Romano Pontifici proponeretur Sacra Congregatio de Propaganda Fide de mandato Innoc. X. convocata respondit: Censuerunt, ratione mutui immediatè, & præcisè nihil esse accipiendum ultra sortem principalem, si verò aliquid accipiant ratione periculi probabilitèr emergentis, prout in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis ejusdem, ac servata proportio-

ne inter periculum, & id quod accipitur. Lacr. lib. 3. p. 2. n. 856.

229 Mutuus usque ad certum tempus, quod non sit nimis breve, potest à mutuatario, etiam si nullum emergat damnum, aliquid ultra sortem petere, si eo termino transacto, culpabiliter non solvat: hæc enim poenæ appositio nullo jure est prohibita: imò satis clarè permissa invenitur in L. 23. ff. de Obligat. & action. c. 7. de Pignori. Et merito, nam cum mutuatarius contra justitiam retineat debitum, culpabilis est, ac proinde poenæ non solum lege, statuto, vel consuetudine, sed etiam ex conventionne utriusque imponi potest, dum non imponatur in fraudem usurarium ad eas hoc pallio obtegendas, & licet statim termino præfixo, dum sit sufficiens, elapso, possit creditor petere poenam, tamen regularitèr mora, aut dilatio unius diei, vel etiam hebdomadæ, non est mora notabilis, ut poenæ exigatur. Si pars debiti sit soluta, non tota poenæ, sed tantum correspondens, & proportionata parti debiti non soluti est petenda. Si mutuatarius differat restituere, etiam post tempus præfixum, quia solvere nequit, nec potest exigi poenæ: nam hæc sine culpa nequit exigi. c. 2. de Constit. l. 22. C. de Poenis. Si verò in eam impositam sua culpa devenit mutuatarius, poenam solvere tenetur. Gloss. fin. in c. 8. b. t. Azor p. 3. 15. de Usur. cap. 6. Molina de Just. & jur. tr. 2. D. 317. Quando à Lege, vel à Judice est imposita aliqua poenæ non solventi tempore debito hujusmodi poenæ, quæ usura moratoria appellatur, si verò poenæ sit conventionalis sufficit, quod debitor requiritur à creditore, etiam ante Judicis sententiam, ut eam solvere teneatur. Sylo. V. Poenæ, n. 14. Less. lib. 2. de Just. & jur. cap. 20. n. 136. Covarr. Azor, & alij.

220 Lucrum constituens usuram est quidquid pretio æstimabile in mutuo ultra sortem exigitur, vel accipitur, si sit pecunia, si verò triticum, si verò obsequium, alias indebitum, dum interveniat pactum, vel obligatio de novo mutuatario imposita. c. 1. & seq. 14. q. 3. Siquidem reddente mutuatario tantum quantum à mutuate accepit, ad æqualitatem satisfaci: ac proinde, quidquid ultra sortem exigitur, injustè exigitur. Lugo de Just. & jur. D. 25. sect. 5. Hinc usurarium est exigere à mutuatario aliquid mutans, vel beneficium, quo compenset beneficium præstitum in dando mutuo, vel quo

quo mutuatarius speciali modo benevolentiam mutanti præstare teneatur. Ideò Innoc. XI damnavit hanc propositionem quæ est 42. Usura non est dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudinis debitum, sed tantum si exigitur tanquam ex justitia debitum. Siquidem est ex pacto, & consequenter ex justitia obligationem imponere mutuatario ultra sortem: nam gratitudo, nec ex justitia obligat, nec ad aliquid actum determinatum in specie, sed tantum in genere, ut quis respondeat beneficii. Secus est, si mutuatarius ad suam gratitudinem ostendendam ex mera liberalitate aliquid mutanti retribuatur: tunc enim nulla committitur usura. Nec mutans, eo quod beneficium contulerit, debet fieri peioris conditionis, quam alij, quibus liberè possit mutuatarius donare, ac consequenter potest mutans sine timore ultra intendere, etiam principalitèr, lucrum, non tanquam debitum, sed tanquam beneficium gratis dandum, & à fortiori potest per mutuum, intendere amicitiam, & benevolentiam mutuatarij. Sor. de Just. L. 6. q. 1. art. 2. & 4. Molin. eod. tract. 2. D. 305. num. 5. & seqq. Laym. L. 3. tr. 4. cap. 16. num. 1. Lugo de Just. D. 25. sect. 4. num. 28.

221 Si mutans mutuatarium obliget ad aliquid obsequium, alias indebitum, præstandum; v.g. ad intercedendum apud Principem pro aliquo obtinendo officio, vel quod mutuatarius deferat aliquem honorem ipsi mutanti non debitum antecesserit ab ipso mutuatario, vel quod ipse remittat injuriam antecesserit mutanti illatam, vel obligationem, quam habebat mutans restituendi famam mutuatario: in his enim casibus usura committeretur. Nec potest mutans cum mutuatario convenire, ipsi sumque obligare, ut sibi remutet, quando indigeat, pro eo sibi subeant, vel aliam rem; v.g. frumentum mutuatarius vicissim mutuet: vel potius mutanti, quam alijs, suas aedes, vel opera locet: vel mutantis aedes conducat: vel ipsi prædium vendat etiam justo pretio: vel quod ex sua officina merces emat, vel quod accedat suas cholas, vel molendinum, vel furnum ad molendum triticum, vel panem coquendum: & alia hujusmodi. Siquidem ista omnia pretio æstimabilia sunt, ac proinde est nova obligatio, & onus ultra sortem ea præstare, consequenterque à labe usuræ nequeunt liberari.

D. Thom. 2. 2. q. 78. & alij com. secus esset, si ista omnia non peterentur tanquam pretium, sed tanquam conditio sine qua non quis mutaret de præsentibus: siquidem non tenetur quis beneficium præstare, quale esset dare mutuum ei, quem videt ingratum esse, & nolle vicissim beneficium præstare. Qui in mutui compensationem exigit tanquam ex justitia aliquid spirituale, vel spirituali annexum; v.g. Missæ Sacrificium, vel Beneficium Ecclesiasticum, præter simoniam, etiam usuram committit. Nam obligatio conferendi beneficium est pretio æstimabile. Qui mutuatario aliquid dat ea conditione, ut rem aliunde debitam restituat, non committit usuram: siquidem nullum novum onus imponit, sed petit antecesserit debitum; v.g. si mutuum det ea conditione, ut res ablata, vel deposita, vel mutuata antecesserit restituatur: vel si Dominus, vel Parochus dent frumentum pro semine, vel pecuniam pro rebus necessarijs ad culturam in mutuum Colono, vel Parochiano ea conditione, ut solvant sine diminutione, & citò pensionem, aut decimas. Hos casus alioque plures hujusmodi latius explanat D. Thom. 2. 2. q. 78. Covarr. Var. 3. cap. 2. n. 5. Less. de Just. & jur. L. 2. cap. 20. Molin. eod. tr. 2. D. 307. & seqq. Lacr. lib. 3. p. 2. ex num. 835.

222 Aliquando committitur usura palliata, quando scilicet operitur pallio alterius contractus, & non ostenditur clarè contractus mutui: & hac ratione non facile in foro externo tale pactum de usura condemnatur, nisi de usuraria intentione per confessionem contractuentium, vel scripturam, vel aliunde constet. Et sic venit intelligendus text. in c. 6. b. t. pro foro, scilicet, externo; non verò pro foro conscientiarum, & interno. Ideò usurarium habetur pactum Antichristicos, quando, scilicet, creditor, qui apud se habet fundum oppignoratum pro centum aureis; v.g. illius fructus lucratur, & postea exigit sortem principalem, scilicet, debitum integrum centum aureorum: nam tales fructus, deducendo prius expensas, & laboris æstimationem, debent in sortem principalem imputari: imò si centum valeant, & debitum integrum adæquant, debitum omnino extinguatur; & prædium restitui debet: etiam si in favorem causæ pie tales fructus percipiantur. Nec enim sunt largiendæ elemosynæ ex foenore: alias

pallio talis pignoris vera usura, & lucrum ultra sortem tegetur. *c. 6. de Pignor. c. 1. c. 2. c. 3. b. t. Covarr. 3. Var. cap. 1. Laym. Lacr. L. 3. p. 2. n. 1115.* Nec obdat *text. in c. 1. de Feud. c. 8. b. t.* ubi Ecclesia lucratur fructus feudi oppignorati pro mutuo à Vassallo: nam hoc est speciale in feudo, in quo Dominus non tenetur fructus compensare in sortem, si Vassallus interim servitia debita non præstet: imò ipsi fructibus servitia debita compensantur. Similiter maritus non compensat in sortem principalem fructus prædij pro dote oppignorati, dum dos non solvitur: sed ipsi fructibus onera sustinet matrimonij, quæ dote sustinere debebat. *c. 16. b. t.*

233 Vendere rem majori pretio, quam merx valet, præcisè ob dilatam solutionem, vel eam minori pretio emere præcisè ob solutionem anticipatam est usura palliata nomine emptionis, & venditionis. Nam in venditione, quæ fit credito, vel in anticipata solutione est mutuum virtuale, ac proinde usura quidquid ultra principalem sortem exigitur. Ideò *Innoc. XI.* damnavit hanc propositionem, quæ est 41. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam presentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem, à mutuario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* Hinc usuram committit, qui domum; v. g. quæ pretium est centum, vendit pro centum, & viginti, præcisè ob dilatam solutionem. Nam in hac solutionis prorogatione mutuum latet: nam idem est, ac si venditor recepisset centum pro domo, & ea postea mutuasset emptori eo pacto, ut postea ultra sortem, quæ est 100. reddat viginti, tanquam lucrum. *c. 10. b. t. nisi* ratione damni emergentis, vel lucri cessantis ex defectu pecunie, hoc pactum ab usura excusetur. *Gonzal. in c. 6. b. t. n. 6.* Si verò dubitetur, an res vendita; v. g. triticum, plus sit valitura tempore solutionis faciendæ: cum eo casu, tam emptor, quam venditor ob contingentiam eventus, lucrum, vel damnum æqualiter expectent, & aliunde venditor non esset eam antea venditurus, potest aliquid ultra justum pretium, quod tunc habet sine timore usuræ, nec injustitiæ petere. *c. fin. b. t.* ubi ratione hujus dubij etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, & alias merces vendit, ut amplius quam tunc valeant in certo ter-

mino recipiat pro eisdem, si tamen ea tempore contractus esset venditurus. Usura etiam intervenit casu, quo quis rem ejus infimum pretium sunt 120. emat pro centum præcisè ob anticipatam solutionem: nam tunc palliatur usura. Idem enim est, ac si emptor mutuasset centum venditori, ut postea reddat 120. nisi ab usura ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vel alio justo titulo excusetur; v. g. quia dubitatur, an res, quæ emitur de presenti minori pretio plus, vel minus esset valitura tempore traditionis, ex eo quod venditor rei traditionem differat. *Sylv. V. Usura, 2. q. 1.*

234 Contractus, qui *Hispanè: Mohatra; Italicè: Stocco* dicitur, continet palliatam usuram; & idè *Innoc. XI.* hanc propositionem, quæ est 40. damnavit: *Contractus Mohatralicitus est etiam respectu ejusdem persona, & cum contractu retrovenditionis prævisè inito, cum intentione lucri.* Mohatra enim fit, quando Sejus perit à Titio Mercatore centum aureos in mutuum: qui respondet Sejo, tibi dabo centum aureos mutuos, & per annum credam, & expectabo, dummodo istud pallium emas centum, & decem aureis, quod est pretium justum, quamvis summum, statimque mihi idem pallium revendas centum aureis, quod est infimum ejus pretium, ubique hanc summan pecuniam numerabo. Hic latet usura pallio venditionis contecta: siquidem Titius pro centum aureis, v. g. Sejus dat, recipit ab ipso centum, & decem, cum venditio ad creditum sit mutuum virtuale. Si verò pactum non sit initum, & post absolutam perfectè venditionem, mutuatarius minori pretio ipsi Titio rem vendere velit, bene potest, sicut potest alij extraneo, quia Mercator vendens illas merces summo pretio non privatur jure emendi ipsas infimo pretio, quia adhuc justum est. *Navar. Molin. Carth. Lacr. L. 3. p. 2. n. 904.* Non est usura triticum, aut vinum in autumno mutare, adjecto pacto, quod in venè tantumdem tritici, vel vini restituitur, vel pretium correspondens in tempore verno, quando incertum est, an in utroque tempore idem erit pretium quia nulla est in hoc contractu inæqualitas, cum idem sit respectu utriusque contrahentis periculum damni, & ipes lucri. *c. fin. b. t. ibi: Ille quoque qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensura reddantur, quæ licet tunc plus valeant, usurum plus, vel minus solutionis tem-*

tempore fuerint valitura verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari. Secus est, quando est certum, vel probabilius, quod pretium erit majus tempore verno, & aliunde mutans triticum, vel vinum non esset illud in tale tempus servaturus. Siquidem tunc ultra sortem exigeretur excessus pretij, quod tunc habebat. Si tamen in tempus verno servaturus erat, poterit, deductis expensis, quas in ejus conservatione facturus erat, accipere pretium, quod tunc haberet, licet majus, quam tempore mutui dati esset. *Gloss. in c. fin. b. t. V. Dubitatur. Azor p. 3. l. 5. c. 7. q. 5. Lugo de Just. & Jur. D. 25. sect. 7. & n. 112. Molin. cod. tr. 2. D. 311.* Mutuare triticum vetus adjecto pacto, quod postea reddatur novum, non est usura, si quoad valorem non detur excessus, licet aliunde cedat in mutuantis commodum, eo quod facilius novum conservetur: quia in contractu datur æqualitas, quoad pretium, & nullum damnum sequitur mutuario. Si verò triticum vetus minus sit valiturum, quia v. g. est semicorruptum, erit usura illud cum novo mutuare: quia ille excessus pretij est supra sortem principalem. *Sylv. V. Usur. r. q. 17. Navar. in Man. cap. 27. n. 224. Lugo de Just. D. 25. sect. 7. n. 117.*

235 Emere minori pretio Chirographum, seu debitum centum argenteorum; v. g. quando hoc est liquidum, & sine aliqua molestia repeti potest, est usura palliata. Nam est idem, ac si emptor mutuasset venditori 80. ut ab eo centum reciperet & potest tamen minoris emi, quando debitum est litigiosum, vel quando in ejus repetitione aliqua molestia experienda esset, saltem ab ipso venditore, licet aliunde emptor ob ejus industriam facile repetere possit: quia in omnium æstimatione minus valet illud debitum, quam si liquidum esset. Quando debitor est Princeps, non potest minori pretio Chirographum emere ille Officialis, qui ex officio solutionem ex Principis araria debet præstare: quia hæc emptio usuraria, vel saltem injusta esset, sicut esset, si Princeps vellet solvere 90. pro centum, eo quod anticipatè solvat. *Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 361. ex n. 10.*

236 Montes pietatis sunt quædam araria aliorum pietate constituta ad sublevandum indigentium necessitates: nam solet acceptis pignoribus aliqua quantitas pecunie, aut frumenti mutua-

ri indigentibus, ea conditione, ut si tempore statuto non solvant debitum pignora majori, quo possint pretio vendantur, ex quo mons pietatis suum debitum recipiat, & aliquid ultra illud, tum pro conservatione ipsius montis, tum pro sustentatione illius ministrorum, & si quid residuum est debitori restituitur. Hos esse licitos, & ab usura immunes est declaratum in *Concil. Later. sub Leone X. Et Frid. sess. 22. de Reform. cap. 8. & 9.* inter causas pias hos montes recenter, eosque approbant. *Paul. II. Sixt. IV. Innocent. VIII. Alex. VI. & alij. Defenduntur que Navar. Man. cap. 17. n. 123. Molin. tr. 2. D. 325. n. 3. Castropol. tr. 30. D. 4. p. 14. n. 2. Azor. Toled. Valent. Laym. contra Cajet. & Sot. de Just. & Jur. lib. 6. q. 1. art. 6.*

237 Etiam hic venit examinandum, an lucrum cambiolorum licitum, vel usurarium sit? Cambium enim est negotiatio, qua pecunia pro pecunia cum lucro moderato permutatur. Qui dat cambium campfor: qui accipit, campforarius dicitur. Cambium est duplex: aliud reale, locale aliud. Reale dicitur, quando pecunia unius generis pro alterius generis pecunia numeratur: v. g. si auri pro argenteis permutantur, & dicitur *manuale*, quia pecunia de manu in manum traditur. Locale est, quando pecunia præstans in uno loco pro absenti in alio loco permutatur: v. g. si quis det Mailla mille argenteos, ut Mexici, vel Matriti ipsi reddantur: vel si Manila accipiat, ut Mexici, vel Matriti, ejus negotiorum gestor eos reddat. Et quia regulariter per litteras celebratur, *cambium litterarium* dicitur. Hoc lucri genus licitum est, & immune ab usura: quia & magna utilitate commerciorum ubique est introductum: tum ob periculum trajiciendi pecuniam de uno in alium locum: nam campfor in se suscipit periculum, si forte pereat pecunia: tum ob sumptus, & impensas faciendas in famulos, & Officiales peritos: & ob laborem semper habendi monetam diversarum specierum: tum & ob laborem in pecunia numeranda, litteris scribendis, faciendis rationibus: tum ob majorem commoditatem unius pecunie præ alia ad negotiandum, qua sæpe se privat campfor, ob alios titulos. *Sylvest. V. Usura, 4. q. 7. & 8. Navar. Man. cap. 17. ex n. 282. Mol. de Just. & Jur. tr. 2. D. 399.* Licitum etiam est lucrum, quod quis solet percipere ex olla quam dicunt fortune. *Hispanè: Rifa;* nam

foler accidere, quod Titius: v. g. una schedula in ollam immittit, cuius valor sit unus argenteus, lucratur horologium maximi pretij: fortuna tamen adeo varia, & incerta, aliquando, etiam certum schedulis immittis, nihil capiat. Hinc: talis contractus non potest tanquam injustus ob pretij inaequalitatem, nec usurarius ob lucrum supra sortem, damnari: quia non est mutuum, sed emptio, ubi non res extracta, sed spes emitur cum aequali iactura periculo. Sic potest quis iactura retis emere cum periculo pretium totaliter amittendi, & cum spe lucrandi capturam decuplo maiorem pretio. *L. 11. tit. 5. p. 5.* In Hispania sortes, quae *Risus*, dicuntur, sunt prohibita *L. 12. t. 7. lib. 8. R. C.* Quod intelligit, quando uniuscujusque periculum excedit lucrum, & correspondens: vel quando inter pretium, & valorem rei datur improportio: secus aliter.

238 Mutuatarius solvens usuras mutuarij, etiam si expressum animum habeat transferendi illarum dominium in mutuantem, adhuc usurarius non acquirit illarum dominium: nec revocabile quidem, nisi forte per commixtionem, qua res ex usuris perceptas in numero, pondere, vel mensura consistentes, cum alijs suis ejus generis commisceat. *S. 27. Inst. de Res. divis.* Nam ad transferendum dominum, non sufficit traditio, sed justus titulus est necessarius. *L. 31. ff. de Acquirend. rer. domini.* Et hic deest in praesenti casu. Et quidem non esset justus titulus contractus mutui: nam hic non extenditur ultra sortem principalem: non promissio mutuatarij: siquidem invalida est. *c. 6. de fur. jur.* non denique voluntas tradentis usuras, nam haec solum ad solutionem debiti dirigitur, non tamen ad donationem liberalem extenditur. Et cum non debeat ex iustitia usuras, non est credendum, eas donare velles. *arg. L. 19. ff. de Reb. cred. D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 3. ad 3. Covar. Variar. 3. cap. 3. n. 6. Less. de Just. lib. 2. cap. 20. n. 158. Mol. eod. tr. 2. D. 326. num. 7. Castropal. Gloss. in c. 10. 14. q. 4. Nav. M. cap. 17. n. 265. Lugo de Just. D. 25. sect. 11. n. 106.* Hinc est, quod mutuatarius, etiam si permisisset usuras, non tenetur eas solvere, nisi forte juramentum accedat, nam tunc obligatur ex Religione, & juramento: tale enim juramentum, eo quod non cedit in detrimentum animae, vel tertij servandum est. *c. 28. de fur. jur.* Licet enim acci-

pere, vel exigere usuras sit peccatum, eas solvere peccatum non est: siquidem justa causa necessitatis urgeat petij mutuatarius mutuum, quod sine usuris concedi deberet, & ipse tantum promittit usuras ex malicia dantis: nam ad hoc jam determinatus supponitur, & ideo juramento, per solutionem usurarum adimpleto, potest mutuatarius eas repetere. *c. 6. de fur. jurando.* Usurarius autem, cui factum est tale juramentum, potest cogi, ut juramentum remittat, si nondum usura soluta sint, vel ut eas restituat, si jam soluta erant: in utroque enim foro usuras restituere tenetur. *c. 5. c. 13. b. t. quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. c. 4. de Reg. jur. in 6. Usurarius enim tanquam fur, & raptor habetur. c. 10. 14. q. 4.* Si usurarius contra usurarium agatur, & reus hanc opponat exceptionem in foro externo, actor non auditur, quousque usuras restituat. *c. 14. b. t.* Nam frustra legis auxilium invocat, qui committit in Legem. *c. 17. b. t.* vel donec se ab hoc crimine purgaverit: vel si solvendo non sit, saltem de eis solvendis cautionem idoneam pignoris, vel fidejussoribus praestet. Si mutuatarius juravit, non repetere usuras, adhuc usurarius compellendus est eas restituere. *c. 13. b. t.* Nam licet mutuatarius, juramento obstante, non possit eas repetere, potest tamen eas accipere si restituantur. Quando usurae sunt solutae in pecunia, si usurarius aliquid emat tali pecunia, vel aliter negotiando lucratur, licet semper obligetur ad pecuniae restitutionem, & lucri cessantis, & damni emergentis, non tamen ad rei sic empta, vel adquisita restitutionem. Si quidem Dominus illius sit, nisi forte non habeat aliunde, unde restituere possit. *c. 5. b. t.* quia talis res empta, vel acquisita non est fructus pecuniae, quae ex se sterilis est, sed negotiorum, & industriae usurarij. Sicur Depositiarius fit Dominus rei empta pecunia depositata. *L. 6. C. de Rei vindicat.* Imò, & fur fit Dominus rei furtiva pecunia adquisita. *L. 48. §. fin. ff. de Furtis.* Quando verò res usuraria non est pecunia, sed alia res frugifera, fructus ex ea percepti mutuatario, utpotè rei Domino adquiruntur. *S. 35. Inst. de Res. division.* Si res usuraria vendatur mala fide ex parte emptoris, qui sciat alienam esse, contractus est irritus, ac proinde usurarius pretium rei non acquirit. Si tamen emptor bonam fidem habeat, usurarius ad-

quirit dominium pretij pro re vendita accepti: tenetur tamen emptori ad evictionem. *D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 3. Covar. var. 3. cap. 3. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 327. Less. eod. lib. 2. cap. 20. & n. 161.*

239 Cum usurae Jure Naturali, & Divino sint prohibita: etiam Judaei, & alij, qui Jure Ecclesiastico non ligantur, tenentur usuras, etiam in quantitate modica acceptas, restituere. *c. 12. b. t.* Nam quidquid ultra justum accipitur, licet parvum sit in quantitate, potest dici gravis, & immoderata usura, ut dicitur in hoc sensu in *c. 18. b. t.* Item eorum testamenta nulla sunt: siquidem ipsi subjiciuntur Legibus temporalibus Principum, in quorum dominio sunt. *Covar. var. 3. cap. 3. n. 9. Molin. de Just. tr. 2. D. 334. n. 12.* Haeredes usurariorum ad usurarum restitutionem, saltem juxta vires hereditatis, tenentur: quippe cum res usuraria non fuisset defuncti, nec haeredum potest esse. *c. 9. b. t.* Et quidem si haeredes fecerunt inventarium, non possunt nec in foro conscientiae, nec in foro esterno, ultra vires hereditarias obligari. *Sylvest. V. Usura, 6. q. 10. dist. 4. Azor p. 3. lib. 5. cap. 18. q. 11. contra Covar. var. 3. c. 3. n. 7.* Obligantur quidem juxta vires hereditarias, etiam si res usuraria ad eos non pervenerit, nec haeres factus sit ditior, nec haereditas sit aucta ratione rei usurariae: sed quia cum repraesentent defunctum, ejus conscientiam exonerare tenentur. *c. 5. de Raptor.* Quando plures sunt haeredes si non sunt delicti participes non tenentur singuli in solidum: sed inter omnes pro rata dividitur obligatio restituendi usuras, sicut pro rata commodum hereditatis dividitur: adeo ut uno tantum manente, non teneatur in solidum, etiam alijs deficientibus, ut contra *Gloss. in c. 9. b. t. V. Cogendi, Navar. in Man. rap. 17. num. 1278.* tenent *Sylv. V. Usura, 6. q. 10. dist. 2. Less. de Just. & Jur. lib. 2. cap. 20. n. 175. Molin. eod. tr. 2. D. 332. n. 4.* Sitamen res in specie apud aliquem extet, ille eam restituat, nam res ubicumque est pro suo Domino clamat: ipse tamen potest petere, ut à suis coheredibus pro rata ipsi satisfiat. *Molin. de Just. tract. 2. D. 332. n. 4.* Tertius ille ad quem res usuraria pervenit quocumque titulo, si haec extet, eam tenetur restituere: nam res ut diximus, ubicumque sit pro suo Domino clamat. Si usurarius res proprias alieni donavit, vel alio titulo lucratiivo alienavit, sciens, se hoc mo-

do reddi impotentem ad usuras restituendas, tunc donatarius, vel alius, qui eas accepit, tenetur in utroque foro accepta, si extet, restituere, vel si bona fide consumpsit, quatenus est factus ditior: modo, haec petantur à creditoribus intra annum à die scientiae factae alienationis in ipsorum fructum. *Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 329.* Bona verò usurarij, quae ad alium titulo oneroso, vel lucratiivo, & quidem particulari emptionis, vel donationis pervenerunt bona fide, quin accipiens sciret, ex hoc usurarium fieri impotentem ad solvendas usuras: etiam si talia bona essent adquisita ex pecunia usuraria, non sunt restituenda mutuatario: siquidem usurarij bona non sunt pro usuris tacite hypotheca, neque ex natura rei, nec Jure Civili, vel Canonico. *Sylv. V. Usura, 6. q. 5. Covar. Var. 3. cap. 3. n. 6. Less. de Just. lib. 2. cap. 10. n. 167. Molin. eod. tr. 2. D. 329. n. 6.* Bona autem, quae usurarius habet in sua potestate obnoxia sunt restitutione, non ratione hypothecae, sed actione personali, quae in alium, nisi haeres sit, non transit. *c. 9. b. t.*

240 Cooperantes ex parte mutuantis, ad exigendas usuras, quando sunt illarum causa efficax peccant, & ad restitutionem tenentur, saltem, si usurarius restituere nequeat, vel nollit. Sic tenentur Princeps, Magistratus, Advocati, Tutores, Procuratores, consulentes, vel aliter efficaciter cooperantes: quia cum sint causa injusta damni illati, ad ejus reparationem tenentur. Qui verò ex parte mutuatarij cooperantur, nec peccant, nisi forte ratione scandalii, nec ad restitutionem usurarum tenentur: ut famuli pecuniam pro usuris delincentium numerantes, vel qui pecuniam sub usuris in obsequium mutuatari procurant, dum non suadeant mutuantij, ut eam sub usuris det. *Less. de Just. & Jur. lib. 2. c. 20. ex n. 178. Molin. eod. tr. 2. D. 331. & alij.* Usurarius ergo debet restituere omne lucrum, quod supra sortem accepit ratione mutui, & non ex alio justo titulo, ut damni emergentis, vel lucri cessantis, &c. Et si res usuris data est fructifera, etiam fructus percepti ab usurario restituuntur, etiam si à Domino, ob negligentiam, vel ob casum fortuitum, non fuissent percepti. *Azor Inst. p. 3. lib. 5. cap. 15.* Sed sunt restituendi, deductis impensis in perceptione, & conservatione fructuum factis: non tamen restituuntur qui percipi potuerunt, si in

efficitur non sunt percepti. Debet denique usurarius restituere omne damnum obveniens, imò, & lucrum cessans, si forte Dominus, ut usuras solveret, aliquam facturam est passus.

241. Hæc usurarum restitutio mutuario per illas læso debet fieri, vel post obitum ejus, ipsius hæredibus, sive ex testamento, sive ab intestato. Si hæredes non extent, vel ignorentur, tunc quidem alijs pauperibus, Ecclesijs, vel alijs causis pijs debet fieri restitutio. c. 4. l. 1. q. 5. c. 5. b. t. Etiam pauperibus possunt restitui, quando licet sciatur quoniam læsus est, non possunt ad eum mitti: arg. c. 16. de Judicis. In nostra Hispania potest fieri compositio virtute Cruciate de illicitè adquisitis per usuras, ut ex Bulla ipsa constat. Usurarius, qui inopiam patitur non potest obligari, ad usuras restituendas. c. 5. b. t. Quia inanis est actio, quam inopia debitoris excludit. c. 16. de Restitut. spoliat. quousque ad pinguem fortunam deveniat: arg. C. Oduardus, 3. de Solutio. potest etiam creditor hanc obligationem usurario remittere totalitè, cum sit suæ rei moderator, & arbiter. L. 21. C. Mandat. Et à fortiori consentire in cautionem, quam usurarius pignoriibus, vel fidejussoribus præstat: nam sic satisfactum censetur. Si usurarius velit uti beneficio cessionis bonorum, tunc reliquenda sunt ipsi alimenta, ne egeat, & expressari debet, quousque habeat, unde solvendo.

242. Ultra restitutionem varijs poenis usurarii puniuntur, quæ sunt sequentes. 1. enim usurarii fiunt infames. C. 11. de Excess. Prælator. ac proinde irregulares, nec valent ad ordines promoveri. c. 8. D. 46. nec ad beneficia, vel officia Ecclesiastica. c. 11. de Excess. Prælat. quod si Clerici sint, suspenduntur: & si adhuc in crimine persistant, omninò à beneficio, & officio Ecclesiastico obtento deponuntur. c. 7. b. t. Si poeniteant, & restituant usuras, potest Episcopus dispensare cum tali Clerico, ut possit beneficia obtenta retinere, & obtinere alia, non tamen potest recuperare ea, quibus privatus est, si alij jam sint collata. c. 4. §. de Adulterijs, de Judicis. Si Laici sint, excommunicantur, imò hodie excommunicationem ipso facto incurrunt. c. 1. b. t. in 6. Usurarijs negatur Sacramentalis absolutio, & Sacramentum Eucharistiæ, nec eorum oblationes admittuntur, præsertim, quæ intra Missarum solemniam fiunt, & in morte sepultura Ecclesiastica

denegatur ipsis, nisi usuras restituant, vel saltem de restituendo caveant. c. 3. b. t. c. 2. eod. in 6. l. 9. tit. 13. p. 1. Ipo- que facto excommunicatur Clericus illos ad sepulturam Ecclesiasticam admittens, nec ab excommunicatione absolvitur, quousque arbitrio Episcopi satisfaciat. Clem. 1. de Sepult. Greg. Lop. in l. 9. tit. 13. p. 1. V. Manifestamente.

243. Item usurarii non possunt facere testamentum, nec aliam ultimam voluntatem, nisi restituant usuras, vel cautionem de eis restituendis præstent. Nec ulli licet eorum testamentis conscribendis interesse: quod si testamentum faciant, & adhuc impenitentes in restituendis usuris sint, testamentum est irritum. c. 2. b. t. in 6. Etiam si talis usurarius desisserit usuras exercere. Nam dum non restituit, vel de restituendo cavet, testamentum est nullum. Covar. 3. Var. c. 3. n. 9. Si dedit signa poenitentiae, & descessit, nec restituit, nec de restituendo cavet, quamvis quoad relicta profana testamentum sit nullum, sustineri tamen ex æquitate, quoad relicta ad pias causas, tenent Sylv. V. Usura, 9. q. 7. Covar. 3. Var. cap. 3. Mol. de Just. & jur. tr. 2. D. 334. n. 11. Lug. eod. D. 24. sect. 4. n. 70. Vazq. Opus. de Testament. cap. 9. §. 1. dub. 8. n. 32. Si tamen post testamentum nullitè conditum, restituant, vel cautionem præstant usurarii, tale testamentum convalescit, non præcisè tractu temporis. L. 210. ff. de Regul. jur. sed quasi confirmetur nova voluntate, quæ deambulatoria est usque ad mortem. Sic alienatio à minori nullitè facta, judicis Decreto superveniente, majori auctoritate confirmatur, si minor eam ratam habeat. L. 1. C. Si major fact. quod ad fortiori in testamento tenendum est ob causæ favoreim. C. fin. de Sent. & re judic. Cov. Var. 3. cap. 3. n. 9. Lug. de Just. D. 24. sect. 4. n. 71. Has poenas incurrunt usurarii: sed quidem manifesti tantum. c. 15. b. t. Molin. de Just. tr. 2. D. 334. n. 5. Castrop. tr. 30. D. 4. p. 30. n. 16. L. 9. tit. 13. p. 1. ibi: Usurero fundo aliquo manifestamente in su vida. Debet tamen præcedere sententia Judicis declaratoria, quod illicite usurarius manifestus, vel notorius: arg. c. 19. de Heretic. in 6. Præter has poenas potest Judex alias suo arbitrio infligere, præcipuè pecuniarias, ut ipsi, in quo peccant, puniantur. Vel etiam Carceris, relegationis, vel fustigationis Menoch. de Arbitr. cas. 398. In nostra Hispania sic puniuntur usurarii. In L. fin. tit. 6. lib. 8.

R. C. Mandamus, que qualiter Christiano, que dicitur à usurario, dicitur qualesque contraos en fraude de usura, que caya en las penas, que en las dichas Leyes, y Ordenanzas son contenidas: de las quales la suerte principal sea para la parte contra quien se exercitaren las usuras, y de las penas la mitad sea para la Camara: y de más que el tal Usurario, o Logrero quede, y suque inhabil, è infame perpetuamente.

244. De usurarum crimine contra Laicum cognoscere potest Judex Ecclesiasticus. c. 2. c. 7. b. t. Vel etiam Laicus. c. 12. eod. ad preventionem cum delictum sit mixti fori: & non solum quando questio facti vertitur, sed etiam, quando questio est de jure, v. g. An hic contractus sit usurarius vel non? Siquidem utroque jure vindicatur hoc delictum, & ab utroque Judice, teste praxi, puniuntur. Nec usura plus spiritualitatis habet, quam homicidium, & alia crimina justitia, & Juri Naturali repugnantia. Sylv. V. Usur. 9. Covar. Var. 3. cap. 3. n. 1. Farinac. Prax. Crimin. q. 8. n. 140. Menoch. de Arbitr. cas. 398. Molin. de Just. tr. 2. D. 333. Gonzalez in c. 3. b. t. n. 11. contra Glos. in c. 8. de Foro comp. V. Malefactores. Clar. V. Usura, n. 8. Azor, & alios, qui ad Ecclesiasticum privative pertinere, tenent. Quando verò statuendum est perpetua, & Legali Sanctione, an aliquis contractus usurarius, injustus, vel peccaminosus sit, hoc ad solum Rom. Pontificem spectat. Nam ipsi tantum est concessum à Christo D. declarare doctrinam ad fidelium mores spectantem juxta illud Christi D. Pasee oves meas. Joan. c. fin. v. 17. Aliquem esse manifestum usurarium, probatur per facti evidentiam, si alijs frequenter mutuum sub usuris dedit, vel si publicè eas exercuit. Et sufficit unus actus. Etiam probatur per evidentiam juris, si usurarius est condemnatus, judicialitè confessus, vel legitime convictus, vel per confessionem extrajudicalem usurarii coram Notario, vel duobus testibus factam, vel per duos, vel tres testes (non quidem de fama deponentes) sed qui testentur, illum vidisse sæpius mutuum sub usuris dare: vel per conjecturas vehementes, & indicia evidèntia, quæ cum delicto moralem connexionem habeant. c. 15. b. t. Denique ex libris rationum, qui licet non pro ipsis, contra ipsos scribentes probant. L. 5. l. 6. l. 7. C. de Probat. ad quos exhibendos possunt per censuram cogi. Clem. un. §. Catenam, b. t. imò, & vi

adhübata frangendoque arcam, extrahi possunt. De quibus latius Sylv. V. Usura, 9. Covar. Var. 3. cap. 3. Menoch. de Arbitr. cas. 235. Azor, p. 3. lib. 5. c. 19. Usurarius manifestus condemnatus, ut usuras restituat, non auditur, si appellat. c. 11. b. t. Sicut nec alij notorij criminosi à condemnatione criminis appellantes audiuntur. c. 5. §. fin. de Appellat. nisi appellatio ex justa causa interponatur; v. g. si reus neget, se usuras recepisse: quia defensio naturalis, qualis est appellatio, nulli denegatur. c. 59. de Appellat. c. 11. de Excessib. Prælat.

TIT. XX.

De Crimine Falsi.

245. Falsum, aliquando dicitur, quidquid verum non est, etiam si fraus, vel dolum non committatur. L. 13. §. ff. de Rebus dub. Aliquando insuper addit dolum, etiam sine alterius præjudicio, & tunc coincidit cum mendacio. L. 20. ff. ad Leg. Cornel. de Falsi. Sed in præsentia falsum tria complectitur. 1. Immutationem veritatis. 2. Dolum committentis falsum. L. 20. C. ad Leg. Cornel. de Falsi. 3. Quod talis immutatio afferat damnum tertio, vel falsum, quod ex se possit afferre, licet forè impediatur. L. 6. l. 8. C. ad Leg. Cornel. de Falsi. Hinc falsum definitur fraudulosa immutatio veritatis in alterius præjudicium facta. L. 1. tit. 7. p. 7. ibi: Falsedad es mudamiento de la verdad. Falsum est grave crimen, & publicum, de quo quilibet de populo, etiam si nihil ipsius intersit, potest accusare: & quidem usque ad 20. annos accusatio fieri valet. L. 5. tit. 7. p. 7. estque crimen exceptum, quod non venit in generali dispositione, vel remissione: Nec falsarius liberatur à carcere, ut alij rei ob publicam lætiam. Menoch. de Arbitr. cas. 306. n. 11. Acced. in l. 3. tit. 17. lib. 8. R. C. n. 2. Et sanè pluribus, & varijs modis falsi crimen committitur. L. 1. tit. 7. p. 7. ibi: E puede hacer la falsedad en muchas maneras. L. 1. & sequentib. ff. ad Leg. Cornel. de Falsi. falsum igitur committitur. 1. facto ipso. 2. verbo, & dicto. 3. scripto.

246. Facto ipso quis falsi crimen committit. 1. Quando admittet mercibus materiam adulterinam: & arbitrarie puniuntur. Item Medici, vel Pharmacopœas, qui